


05

A

595





IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO ANTI-CALVINIANA

De
ANGELORUM
ORTU, NATURA ET STA-

TU, TUM CONFIRMATIONIS, TUM DEFE-
CTIONIS, BUCANO POTISSIMUM OP-
POSITA,

Quam
In Illustri VVittebergensium Academia

PRÆSIDE

VIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo & Excel-
lentissimo

DN. JOHANNNE Deutschnann

S.S. Theol. Doct. Celeberrimo, ejusdemq; Prof.
Publ. Extraordinario longè meritissimo.

Dn. Præceptore, Patrono & Studiorum suorum Pro-
motore, omni loco, omni tempore, submissè colendo, obser-
vando,

publicæ disquisitioni proponet

RESPONDENS

DANIEL FIDLERUS, Mugellâ-Misnicus,

S.S. Th. Studiosus,

Ad diem Octobris, Horis Matutinis.

In Auditorio Majori.

Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.

Anno 1659.

V I R O

Generoso atq; Nobilissimo,

DN. FRIDERICO à *Wetsch*

in Reichenbach & Friesen Toparchæ,

Domino suo gratioso, patrono beneficentissimo,

S. & Observ.

Quoad mens mea, Vir Generose, spatium præteriti temporis respicere, beneficiq; non dudum in me collati memoriam repetere potest; videor mihi non à vero aberrare, si Vestram Generositatem corporibus cœlestibus assimilem, quæ his inferioribus lumen & motum largiuntur; Ab iis vero, quibus anxie operantur, red hostimentum nunquam accipiunt: Haud Secus & Vestr. Generos. meæ Tenuit: illuxit, quæ tamen gratiam illam recompensare rebus nescit; at verbis illud Philosophi prædit: benefactoribus condignam mercedem reddi non posse. Interim quatenus vires permiserint, cultu, obsequiosoq; animo Vestre Generositati me mancipatissimum novi, & sicuti me novi, ita quoq; adero.

V. Generos. Observantis.

D. Fidlerus.



05 A 595



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ANTI-CALVINIANA

DE ANGELIS QVOAD ORIGINEM,
NATURAM, DUPLICEMQVE, TUM PER-
SEVERANTIÆ, TUM APOSTASIÆ STATUM, CON-
SIDERATIS CONTRA WILHELMUM
BUCANUM.

Vitæ nostræ custos *Angelus* est, *bonus* qui dicitur: sed
ejusdem vitæ juratus hostis est *Angelus*, qui primum
peccavit, & in peccati societatem non tantum alios
naturæ suæ socios, sed etiam (quod dolendum!)
miseros homines pertraxit. *Ille* beneficia varia jussu
Dei quotidie nobis confert: *hic* omnis generis maleficia cunctis
hominibus affert: *ille* sub Deo nos conservat, *hic* contra Deum
nos armat: *ille* noster amicus, *hic* perpetus inimicus: *ille* nos ad
veritatis studium & pietatis exercitium excitat, *hic*, veritatis & pie-
tatis adversarius, mendaciis & vitiis viam vitæ nostræ contami-
nat. Neq; facile quis omnia bona *sanctorum Angelorum*, vel o-
mnia mala *Diabolorum*, enumerare poterit. Deus ipse sanctissi-
mis verbi sui testimoniis, & *Bonorum* & *Malorum Angelorum* stu-
dia nobis exposuit. *Ecclesia* quotannis in Dei gloriam & sui ædifi-
cationem *Angelorum Festum* celebrat, & pia devotione Ministe-
rium *Angelorum* divinitus constitutum juxta S. L. præscriptum
considerat. Veritas enim patefacta cælitus de *Ministerio Sancto-
rum Angelorum* non est negligenda, sed sæpius privatim atq; pu-
blicè repetenda. Quoties enim beneficia *sanctorum Angelorum*,
quibus indies ornatur, & pericula *Diabolorum*, à quibus divina
gratia singulis momentis conservamur, rectius ad animū revoca-
mus, toties ardentiori devotione illud *Ecclesiæ*: *Dicimus Grates:*

cum omnibus pijs intonamus. Pater verò Mendacii, *Diabolus*, non tantum alia veritatis cælestis capita, sed etiam utilissimam ac nobilissimam *de Angelis* doctrinam suis erroribus per amanuenses fideles depravare cogitat, quæ de causa contra scripturam Dei varias mendaces disseminat *de Angelis* opiniones. Deprehendimus ejusmodi sententias erroneas non tantum apud alios Hæreticos, sed etiam apud eos, qui se *Reformatos* vocari gestiunt. Inter hos *Bucanus*, olim in *Academia Lausannensi Theologia Professor*, varios *de Angelis* errores *Institutionibus* suis *Theologicis* inseruit. Has *Institutiones* erroneas quia *Reformata Doctrina Professores* anno præsentis typis novis repetere, & in veritatis præjudicium simplicioribus obtrudere voluerunt, ideoq; cum *Disputatio de Angelis* conscribenda esset, *Quæstiones* nonnullas ex *Institutionum* illarum recoctarum loco VI. ad cæl. veritatis lancem exanimare placuit. Ad hocce pium, & veritati cælesti debitum propositum votis ardentissimis Sancti Spiritus adstantiam desideramus!

QVÆSTIO PRIMA.

Num Angeli à Deo per Christum, ejusq; intuitu creati sint?

1. **V**ersatur hæc quæstio circa causam *Efficientem creationis Angelorum*. Nec enim probamus, vel probare possumus eorum sententiam heterodoxam, qui vel sine causa fingunt *Angelos*, vel eos in creationis consortium admittunt. *Creaturae* sunt *Angeli*, non *creatores*: Dei facturæ, non *factores*, juxta illud *Psal. CIV. 4. Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos flammâ ignis*. Non igitur sine factore sunt & existunt *Angeli*, nec sibi metipsis *factores* esse dicuntur, cū *sui ipsius causa nihil esse possit*, juxta *Metaphysicorum regulam*. Deum igitur *Autorem* habent, à quo sunt omnia, quæ principium existentiae suæ beneficio creationis acceperunt.

2. Cum autem *Deus creator* sit *unus essentia, personis Trinus*, & juxta *Gen. I. 1. 2. Pater creator, Verbum creator & Spiritus creator*: ideo creationem *Angelorum* neq; simpliciter, cum iis, qui creationis opus ad solum *Patrem* constringunt, neq; κατ' ἔξο-

XIV

Xiv cum *Reformatis*, ad solam primam Patris personam referimus. Pater siquidem non solus est Angelorum conditor, sed etiam Filio & Spiritui Sancto tribuitur Angelorum productio, sicut liquet ex V. & N. T. Hinc illud Psalm. CIV. 14. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis* Heb. 1. 7. Patri verbis disertis accommodatur. Nam qui dixit, Pater Psalm. II. 7. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te* II. Reg. VII. 14. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium* & c. is juxta presentem locum ad Angelos dicit: *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suis flammam ignis.* De Filio quoque constat, quod ipse sit coelorum, & omnium, quae sunt in coelis, conditor Psalm. XXXIII. 6. *per quem omnia facta sunt, sine quo factum est nihil, quod factum est* Job. 1. 2. *& in quo condita sunt universa in coelis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* De Spiritu S. manifestis verbis adscribitur, quod Spiritu oris Jehovae calorum exercitus omnis sit conditor Psalm. XXXIII. 6. multitudo vero militiae caelestis, vel exercituum caelestium sunt Angeli Luc. II. 13. Sic igitur Pater, Filius & Spiritus S. unus Angelorum conditor, quem propterea perpetua doxologia, ceu debito creaturae cultu, sancti Angeli venerantur Esa. VI. 3. *Sanctus Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth. & c.*

3. Ut igitur propius ad ipsam quaestionem festinemus, ea, quae sunt à statu distingvenda, ex dictis & dicendis primum removemus. Non enim quaeritur (1) *An solus Pater sit Angelorum conditor?* Hoc enim ex dictis negamus. (2) *An Pater per Filium Angelos condiderit?* Hoc ex adductis affirmamus. (3) *An Pater propter Filium, & Filius propter seipsum Angelos produxerit?* Hoc iterum Sacris literis consonum: Deus enim omnia fecit propter seipsum. (4) *An hodie Christus secundum utramque Naturam Angelorum creator & Dominus dicendus sit?* Nam & illud juxta sacram literarum praescriptum adseritur, sicut colligitur (1) *ex divina constitutione, qua sancitum est illud: Adorent eum (non tantum Dei Filium, cui, ceu conditori, per ipsam creationem obligati sunt, ut ad eam rem nulla constitutione sit opus: sed etiam hominis Filium Christum, cui datus omnis honor Dei, quem omnes ho-*

43

noris-

norificare debent, sicut honorificant Patrem: ita quidem, ut qui non honorificat Filium, non honorificet Patrem, qui misit illum Job. V. 23.) omnes Angeli ejus, sicut ex Psalm. XCVI. 8. loquitur Heb. I. 6. Nam quod hæc adoratio Christo secundum H. N. competat, ex præfenti loco docet Chrysof. Hebr. I. serm. 3. tom. 4. τὸ κτ̄ σίγμα λέγων, καὶ προσκυνήσάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεῶν h. e. secundum Carnem dicens: Et adorent ipsum omnes Angeli Dei. (2) Ex Angelorum ministracione. Nam quomodo Christo Mediatori ministeriis suis in diebus carnis tempore conceptionis, uteri gestationis, nativitatibus, primæ persecutionis, Diabolica tentationis, passionis, resurrectionis & ascensionis inservierint, Evangelica historia locupletissima testis est. Hoc autem ministerium non tam ad indigentiam sublevandam, quam ad eminentiam ejus contestandam sanctissimi Spiritus præstiterunt, fuitque ministerium non tam directivum, quam subjectionis, non tam custodiæ, quam obedientiæ, quo suam coram Domino humilitatem, Dominiq; supra se potestatem & auctoritatem docuerunt. (3) ex praxeos Angelicæ consideracione. Nam dictis factisq; Christum, ceu Dominum suum, venerati sunt, sicut Apoc. XIX. 10. Johanni, non debitum sibi cultum offerenti, dicit Angelus: Vide, ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum suorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est Spiritus prophetiæ. c. XXII. 9. idem repetitur. Confer. c. IV. V. v. II. & seq. (4) Ex Angelorum appellacione. Nam in S. L. Angeli non tantum Angeli Dei, sed etiam Angeli Filii hominis appellantur. Mat. XIII. 41. Mittet (in confirmatione seculi) Filius Hominis ANGELOS SUOS, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. c. XVI. 27. Filius Hominis venturus est in gloria Patris sui cum ANGELIS SUIS. II. Thes. I. 7. Dominus Jesus venturus dicitur in revelatione de cælo cum ANGELIS VIRTUTIS SUÆ. Apoc. XII. 7. magnum illud prælium Michaelis, h. e. Christi salvatoris, & ANGELORUM EJUS contra Draconem & Angelos malos describitur.

4. (5) Sed hoc est, quod in controversiam hic nobis & Bucano venit: Utrum Deus primò ante & citra hominis lapsu per Christum, ceu Deum & hominem, vel ad minimum intuitu atq; respectu Christi, primùm Angelos condiderit? Prius explicitè non

non urgebit *Bucanus*, quia Dei Filius in Angelorum creatione nondum fuit incarnatus: neq; quicquam extra salutis negotium ante incarnationem Christo sine scriptura tribuendum, unde nec implicite, vel ampliate *Bucanus* hoc urgere e poterit, vel debet. Et cum essentialia naturarum vel attributa, vel opera, quatenus sunt talia, non sint confundenda, magis utiq; dicendum, *Filium Dei* Conditorum Angelorum esse, quam Patrem per *Christum* Angelos ex nihilo creasse.

5. Et ne quis arbitretur, meram hic a nobis *λογομαχίαν* institui, cum omnino dicere liceat, Patrem per Christum omnia, & sic Angelos quoq; creasse, praesertim cum scriptura nec illud prohibeat, nec ab ejusmodi loquendi genere dissentiat, sed potius in uno vel altero loco non inconvenienter eidem consentiat, altius quodammodo praesens causa nobis evolvenda. Dicimus igitur (1) *quod non sit idem, quando duo dicunt idem*: sicut nec idem est, quando duo faciunt idem. Facta siquidem finibus & aliis circumstantiis, verba sensu dicentis, scopo, & circumstantiis orationis aestimantur. (2) *quod multa nobis scriptura dicat, quae rectissime pari sensu & statu ab orthodoxis adhibentur; sed quam primum ab heterodoxis contra scripturae sententiam aliis verbis sensus affingitur, dicta non amplius scripturae sunt, sed perversae mentis fiunt, & haereticis opinionibus obediunt. Idem etiam Bucano, falsis opinionibus decepto, vel alios decipienti contingit, sicut ex seqq. patebit.*

6. Nam (1) *Bucanus* statuit, Christum ex absoluto quodam decreto, vel ex sola quadam *Φιλανθρωπία* citra respectum ad lapsum existere, vel Dei Filium hoc pacto hominem factum esse, sicut patet ex Christi descriptione loc. 2. q. 5. Quid est Christus? Est Filius Dei unigenitus, qui ex sola sua Φιλανθρωπία sibi ex virginis Mariae semine purificato a Spiritu S. creavit, & creando adsumpsit, ac personaliter atq; indissolubiliter univit verum corpus humanum, anima rationali praeditum: atq; ita, verus Deus manens, verus homo factus est, nobis per omnia similis, excepto solo peccato: Idem patet etiam ex tractatione, quia, ante omnem creationem, creationis angelorum & hominum considerationem, de Christo, ejusq; incarnatione agit, adeoq; incarnationem Filii Dei absolutam vel

vel absolute predestinatam fingit, qualem omnis ignorat scriptura. Non ignoramus equeidem, quod etiam orthodoxi nonnulli Theologi tractationis ordinem eodem modo seruent, sed alio sensu, aliis hypothesebus aliisque rationibus hoc faciunt. Manet igitur & hic illud: *Duocum faciunt idem, non est idera.*

7. (2) Fingit Christo Mediatore hominem opus habuisse, licet in statu primæ creationis & integritatis perstitisset, sicut patet ex loc. 10. q. 3. *An si homo perstitisset in illa originali iustitia, opus habuisset Christo Mediatore? Non ut reconciliaretur Deo & sanaretur à peccato (quod nondum commiserat) sed per quem, quamdiu vellet, retineretur in gratia Dei & preservaretur à peccato: perpetuo enim vera est illa Christi sententia; sine me nihil potestis facere. Et huc etiam facere videntur verba l. 2. q. 9. cur Christum oportuerit esse Deum & hominem, in una eademque persona? nim. ut idoneus esset Mediator Dei & hominum propter suam ad utrosque οἰκειωσιν & cognationem.*

8. (3) Fabulatur, quod gratia Christi consecuta fuisset statum integritatis, etiam si homo non peccasset l. 10. q. 8. *An gratia Christi consecuta fuisset ejusmodi iustitiam originalem? Omnino. Nam gratiam suam Deus promittit in lege liberis piorum Exod. 20. quanto magis Adamum, ejusque posteros (nisi in pietate permansisset) illa gratia profecutus esset? Hic iterum gratiam Dei & Christi, gratiam creationis & redemptionis, gratiam naturalis providentia & gratiam supernaturalis misericordia, gratiam legalem & Evangelicam confundit. Hæc & alia sunt Bucani commenta, quibus suppositis, fingit Angelos per Christum & propter Christum, ejusque intuitu conditos esse. Sed qualia sunt fundamenta, tale quoque non immeritò dicitur illud, quod iisdem imponitur.*

incarnatione Christi

9. Nos igitur cum scriptura & fidei analogia negativam eligimus, eandemque sequentibus constituimus (1) *Ex creationis historia.* Tota siquidem historia creationis Gen. I. & II. nobis exposita nihil prorsus docet de Christo mediatore, vel ejus incarnatione, sed citra incarnationis respectum λογῶ absolute considerato, cum Patre & Spiritu S. creationis opus adscribit.

10. (2) *Ex totius scriptura συμφωνία.* Suavissimus locorum & V. & N. T. concentus nos in hac sententia certissimos, & à Bucani

eani figmento alienissimos reddit. Nam Deo verbo, non autem Deo jam incarnato, vel sub incarnationis respectu considerato, creationem scriptura tribuit *Psal. XXXIII. 6. Verbo Domini caeli firmati sunt. Job. I. 1. In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. De loco Col. I. 15. 16. postea dicitur, quia hunc Bucanus pro sua sententia confirmanda produxit. Heb. I. 2. Per filium Deus secula condidisse dicitur, qui est splendor & character substantiae Patris &c.*

II. (3) *Ex incarnationis ἐπαγγελία.* Nam si mysteriorum 3. divinorum ordinem respicimus, qui pulcherrimus est, & magnam nobis in difficultatibus Theologicis parit lucem: si quoque cum ipsis Reformatis, ex executione divinorum mysteriorum, iudicium instituiamus, omnino certum est, mysterium incarnationis quoad primam suam revelationem, promulgationem & promissionem ad *Gen. III. 15.* referendum esse, ac proinde praesupponi a mysterio incarnationis (1) *divinam propter lapsum hominis commiserationem* (2) *Divinae legis transgressionem & horrendi lapsus commisionem.* (3) *Diabolicam hominis seductionem, & a Deo, Deique lege malitiosam aversionem.* (4) *Diabolorum a Deo defectionem* (5) *Hominum & Angelorum creationem: nemo propterea non videt, incarnationis respectum non esse referendum ad primam Angelorum productionem, sed ad malitiosam Diabolorum lapsorum circa genus humanum operationem, sicut etiam ipsa scriptura, caelestis veritatis interpres, hoc satis luculenter exponit, quid sit illud Gen. III. 15. semen mulieris conteret caput serpentis, quando I. Job. III. 8. dicit: In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera Diaboli.*

12. (4) *Ex incarnationis ἁγια.* Nam in S. L. quae solae principium cognoscendi constituunt in hoc incarnationis mysterio, nihil ejus habetur, sed potius contrarium illae nobis ostendunt, quod *incarnatio Christi solum hominem, lapsum, non Angelos respiciat, adeoque Christus incarnatus etiam ad homines redimendos, non ad Angelos vel producendos, vel vel restituendos pertineat Johan. I. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis Hebr. II. 16. Nunquam Angelos adsumsit, sed semen Abrahae adsumsit, unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex*

B

ad

ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi: in eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Quibus verbis & incarnationis actus, & effectus atque fructus nobis describitur, nihil horum autem angelis adscribitur. Plures modo rationes adducere nolumus.

13. *Bucanus* autem non nisi S. L. autoritate fultus *Affirmativam* suam afferre videtur: sic enim ejus habent verba: *Unde nam sunt Angeli? A Deo, qui ex nihilo creavit eos per Christum. Col. I. 16. Per quem omnia sunt condita, sive in caelo, sive in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia (inquam) per eum, & ejus respectu condita sunt.*

14. Nolumus in his verbis modo examinare (1) quod *Christum Deo* contradistingvat. Nam si *vox Dei* sumitur *essentialiter*, malè *Christum Deo* contradistingvit, quia *Christus* etiam *essentialiter Deus* est: si verò supponit *vocem Dei* *personaliter* pro *Patre*, rectius in hoc opere creationis *Filij*, quam *Christi* nomen adhibuisset, *Spiritus S.* quoque mentionem adhibere debuisset, quia *Pater, Filius & Spiritus S.* unus angelorum creator est. (2) quod *Christum operi creationis Angelorum* infert. (3) quod juxta consuetudinem suam passim in locis adhibitam, *Deo Patri* quendam creationis Angelorum, præ *Filio & Spiritu S.* principatum adscribit, sicut de creatione in genere l. 5. q. 4. statuit, quod in symbolo creationis opus *Patri soli* κατ' ἐξοχὴν tribuatur, ut operis hujus *Decretum & αἴτιον* distinctè *Patri* asseratur, quia *Pater* fons est & principium, non quidem temporale, sed originale totius divinitatis, à quo condita sunt omnia. Nam hac ratione *Filius & Spiritus S.* non sunt unum cum *Patre* creationis Angelorum αἴτιον, sed ejus saltem quædam quasi συναίτια, sicut non semel *Bucano* dicuntur, neque *Filio* κατ' ἐξοχὴν angelorum creatio competit, cum ea creationis ἐξοχὴν soli *Patri* sit propria, qui ratione hujus ἐξοχῆς à *Filio & à Spiritu S.* in creationis opere distinguitur: quasi scilicet in divinitate sit ἐξοχῆς operandi differentia, cum tamen in *Symbolo Athanasii* confiteamur, quod *Patris & Filij & Spiritus S. una sit Divinitas, Equalis Gloria & coæterna Majestas.* Omnem igitur ἁόιας differentiam ut detestamur, ita quoque pari pietate omnem ἐξοχῆς differentiam contra *Reformatos* averſamur.

15. Sed

15. Sed cum nimium injustus sit *Bucanus* in Dei Filium, multum ratione Divinitatis ipsi contra coelestem veritatem per illud ἐξοχῆς figmentū detrahendo, liberalis tamen in eum videri cupit in hoc, quod Christum totum, ejusque intuitum in creationis angelorum confortium admittit, & quod divinitati detrahit, humanitati restituere satagit. Sed utrumque *Bucani* propositum S. Literis est adversum, siquidem mysteriis divinis nihil contra veritatem coelestem adimendum, nihil ipsis contra verbum patefactum addendum, juxta gravissimum Spiritus S. pronunciatum *Apoc. XXII. 18. 19.* nullam igitur gratiam à Christo referre potest.

16. Adducit autem *Bucanus* locum *Col. I. 16.* quo duo probare conatur (1) quod angeli per Christum sint creati. (2) quod consequenter ejus respectu, vel intuitu sint creati. Prius confirmat prioribus verbis: Per quem omnia sunt condita, sive in caelo, sive in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Posterius ultimis verbis corroborat: Omnia (inquam) per eum & ejus respectu condita sunt.

17. Verum quod prius concernit, dicimus (1) nos ne utique hoc intendere, si quis orthodoxorum Christum juxta *communicationem idiomatum Creatorem Angelorum* dicat, ut illud vitio vertamus: novimus enim, quod creatio angelorum, tanquam attributum, vel opus Deitatis, toti personae in concreto competat, juxta *ἰδιωματικὰ*: praeterea scimus quod Christus secundum humanam naturam factus sit Dominus angelorum, quia Deus hujus respectu exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu non tantum terrestrium & inferorum, sed etiam COELESTIUM, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris *Phil. II. 9. 20.* & quia tota Deitatis plenitudo habitat in ipso, vel in ejus carne, tanquam proprio suo templo *Col. II. 9.* juxta *κοινωνικὰ*: At si quis cum *Bucano* juxta *κοινωνικὰ* creationem Angelorum, tanquam opus commune duarum naturarum, vel tanquam *μεσσιμια* Mediationis ad Christum referre velit, hoc in totum repudiamus, quia Christus est Mediator non Dei & Angelorum, sed Dei & hominum, sicut *ex 1. Tim. II. 5.* liquet.

18. (2) Opus creationis angelorum ad Christum hoc loco referri non tam respectu humana, vel utriusque natura, quam respectu eius Divinitatis, sicut apparet (1) ex immediatis appellationibus v. 15. ubi dicitur (α) imago Dei invisibilis, non respectu Humana, quæ non est imago talis absoluta, nec imago invisibilis, sed imago visibilis; sed respectu Divinae naturæ, quæ verè imago invisibilis Dei invisibilis & substantialis est. Et hoc sensu tam vetustiores quam recentiores interpretes locum hunc accipiunt. Ex vetustioribus solus sufficiat Ambrosius qui super h. l. Invisibilis Dei imago visibilis esse non potest, alioquin nec imago. Quod enim invisibile est, pingi non potest. Nec enim visibilis potest invisibilem videre. Aut enim corpus est, quod videtur, aut figura, aut aliqua informata substantia, quam fert acies oculorum, totum tamen corpus est. Deus autem, qui ab his omnibus alienus est, quomodo potest imaginem habere visibilem? Sed ideo sic dicitur, ut talis Filius intelligatur, qualis est Pater: ut quia de ipso est, & nihil distat ab eo in divinitate natura, imago ejus dicatur & forma, ne alius Deus à perfidis crederetur, quamvis nomine ipso hoc contineatur. Ideo enim verus Dei Filius dicitur, ut de ipso esse credatur. Unde dicit ad Philippum, Philippe, qui me videt, videt & Patrem: quomodo tu dicis? ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Hæc est veritas & substantialitas Patris & Filij, ut invicem sint: ut qui videt Filium, videat & Patrem. Nunc videamus, quomodo visus sit Filius, ut proinde intelligamus, qua ratione Philippus videndo Filium, videat & Patrem. Intellectu certè operum divinorum viderunt Filium non carnalibus oculis. Quæ operatus est Filius, dixit esse patris, ut unitatem virtutis ostenderet. Eodem genere visus est à Jacob, unde nomen accepit Israel, i. e. homo videns Deum. Propter hoc ergo imago dicitur invisibilis Dei, ut ipse esse intelligeretur, qui per intellectum visus est Deus. Patrem autem nunquam ullo modo apparuisse, sicut dictum est in Evangelio: Deum nemo vidit unquam. Ex recentioribus adducimus B. Balduinum super h. l. Quando dicitur imago Dei invisibilis duo observanda sunt: primo, imaginem hic intelligi non accidentalem, sed substantialem, de cujus ratione est non tantum similitudo, sed etiam origo. Ovum enim ovo simile est, non tamè ejus imago, quia non est de illo expressum, qua de re videatur

tur August. l. 83. quest. 74. Quod autem substantialis imago hic no-
tetur, inde patet, quia Heb. I. 3. vocatur Character *ἡ εἰκὼν τοῦ θεοῦ*
expresſa imago ſubſtantiae ejus. Sicut apud Hebraeos Angelus faciei
potest reddi angelus personae ejus, quia *אֱלֹהִים* ſignificat & faciem &
personam, ut Job. 34. 19. 2. Par. 19. 7. Deinde vocabulum Dei intelli-
gendum hic eſſe personaliter de Deo Patre; hujus enim ſolius imago
eſt Filius: ideo vocatur in Epist. ad Hebr. non ſimpliciter Dei, ſed
ἡ εἰκὼν τοῦ θεοῦ imago, hoc eſt, ſubſtantia, ſecondum ſua modi-
tate, ſeu Dei Patris imago.

19. Et ne Bucanus Theologos noſtrates nauſeet, audiat et-
iam ipſum Bullingerum ſic in b. l. commentantem: Subjicitur pro-
pria Chriſti deſcriptio v. 15. Praeſtat enim ſcire, quis ſit; cui ſemel
omnia tribuuntur, vita, redemptio, ſatisfactio, ſanctificatio & juſti-
tia. Eſt ergo Chriſtus Jeſus, FILIUS DEI, inquit Apoſtolus, ipſiſſimus
Deus, Deoq; vero per omnia aequalis, id quod variis approbat argu-
mentis. Primo, *ἐκὼν*, ait, imago eſt Dei inviſibilis, i. e. Patri per
omnia ſimilis. Dicit enim ad Philippum. Philippe, qui vidit me, vidit
patrem; quomodo ergo dicis, oſtende nobis Patrem? Non credis, quod
ego ſim in patre, & pater in me? Ad Hebr. 1. Idem Chriſtus ſplendor glo-
riae paterna, & expresſa imago ſubſtantiae illius dicitur. Obſervandum
autem eſt, quod inviſibilis non refertur ad imaginem, ſed ad Deum.
Hic tum ſecundum ſubſtantiam ſuam inviſibilis ſit, & lucem inha-
bitet inacceſſam, conſequens eſt, quod Chriſtus Dominus SECON-
DUM VISIBILEM SPECIEM NON POSSIT ESSE IMAGO
DEI, ſed necesse eſt, aliud in Chriſto eſſe, ſecundum quod ſit DEI
IMAGO, nim. IPSA DIVINITAS, ſecundum hanc enim patri coae-
qualis eſt, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.

20. Videat nunc Bucanus, quomodo cum Bullingero tranſigere
velit, cum ei palam contradicat in hujus dicti explicatione & ap-
plicatione, quando ſcribit l. 2. q. 10. Secundum quam naturam (Chri-
ſtus) dicitur imago Dei Col. I. 15. R. Non ſecundum humanam naturam
tantum, ſicut homo dicitur conditus ad imaginem Dei, ſed praecipue
ſecundum Divinam Naturam, ſed in carne conſpicuam: vel quatenus
Deus in Chriſto vere ſe conſpiciendum praebet. 1. Tim. III. 16. Unde &
ſplendor gloriae Patris vocatur Heb. I. 2. & character personae illius,
quia non eſt evaneſcens imago, ſed expresſa & permanens. Quam
B 3 expli.

explicationem ex supercilioso Calviniani spiritus fastu, quo vetustatem orthodoxam contemnit Calvinus, noster depromere voluit. Hic enim in *Commen. super h. l.* ita contra veterum Patrum interpretationem fabulatur ad verba, *Qui est imago Dei invisibilis: Altius conscendit, disserendo de Christi gloria. Imaginem Dei invisibilis appellat: quo significat eum solum esse, per quem Deus alioquin invisibilis, nobis manifestatur, secundum illud: Deum nemo vidit unquam: unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis manifestavit. Scio qualiter Veteres exponere soleant: quia enim certamen habebant cum Arianis, equalitatem Filij cum Patre, & opposita urgent: interea tacent, quod est precipuum: quomodo Pater in Christo se nobis cognoscendum exhibeat. Quod in vocabulo imaginis totum suum presidium constituit Chrysostomus, dum contendit, creaturam non posse dici Creatoris imaginem, nimis infirmum est, imò à Paulo refellitur, cujus verba sunt: Vir est imago & gloria Dei. Ne quid ergò habeamus, nisi solidum, notandum est, nomen imaginis non predicari de essentia, sed habere ad nos relationem. Ideo enim imago Dei Christus, quia Deum quodammodo nobis facit visibilem. Quanquam inde etiam colligitur opposita. Neq; enim Deum vere Christus representaret, nisi Verbum esset Dei essentiale: quando hic non agitur de iis, quae per communicationem in creaturas etiam competunt: sed agitur de perfecta Dei sapientia, bonitate, justitia & potentia, quibus representandis nulla creatura sufficeret. Erit igitur nobis in hoc vocabulo validum telum adversus Arianos: sed tamen ab illa relatione, quam dixi, incipiendum, non insistendum in sola essentia: Summa est, Deum in se, h. e. in nuda sua majestate, esse invisibilem: nec tantum corporeis oculis, sed humanis etiam mentibus: revelari autem nobis in solo Christo, ut eum tanquam in speculo contemplemur. Nam in Christo suam justitiam, bonitatem, sapientiam, virtutem, se deniq; totum nobis exhibet. Hæc Calvinus contra textum apertum, contra vetustatis orthodoxæ consensum, ex transmarinæ cujusdam sapientiæ studio effutit, quibus Bucano nostro svaviter præludit. Sed nobis antiquitatis studiosa in S. L. scrutandis diligentia non est incognita, & hoc loco satis clara sacri textus litera non dissentit. Neque Calvinus novator quicquam novi protulit, sed antiquitas veneranda ex hoc quoq; loco*

loco in Christo Patrem conspiciendum præbuit, sicut ex *Ambrosii* verbis antea productis liquet. Melius autem & ordine convenientiori juxta textum in hoc mysterio revelationis processit, dum in se Filium imaginem Patris essentialem statuit, & imaginis rationem ad hypostasim patris retulit, juxta manifestam Spiritus S. declarationem *Hebr. I. 2.* in effectis vero divinis, & in ipsa carne Patris imaginem, Filium, conspiciendam proposuit. Plura de his mittimus. Confer. *Zanch. in Cora. Sup. b. l.*

21. (β) *Primogenitus omnis creaturæ.* Qui titulus itidem non *Humana Nature*, sed *Divinae* proprius, sicut interpretum consensus testatur. *Ambros. l. d. Primogenitum omnis creaturæ.* Ante omnem creaturam genitum Filium, non creatum testatur, ut secerneret nativitatem ejus à creaturæ factura. *B. Balduin. Vocatur Primogenitus creaturarum, h. e. primus ante omnes creaturas: is vero solus est Deus.* Nam ut *Athanas. orat. 3. contr. Arian. scripsit: si omnino omnis creaturæ primogenitus, diversum ergo quiddam à rebus creatis fuerit. Et notetur, quod non appelletur ὁ πρωτόγονος Θεός, primo creatus, sed ὁ πρωτόγονος primogenitus, unde sequitur, quod non fit ex numero creatorum, sed genitorum, ex quorum numero ita est, ut sit unigenitus ex Patre Job. I. 14. id quod de nulla creatura dici potest: Deus enim ex seipso sibi gignit similem. Unde est illud Tertulliani de Trinitate: Quomodo primogenitus esse potuit, nisi quoniam secundum divinitatem ex Deo Patre sermo processit? His suffragatur *Bulling.* quando pergit: Huc pertinet, quod secundo loco appellat cum *Primogenitum universæ creaturæ.* Caterum primogenitum vocarunt *Hebræi* non eum, quem plures nativitate sequerentur, sed magis, ante quem nemo. Ita *Christus Jesus* dictus est primogenitus, quasi tu dicas ab eterno genitus. Et postea *Ambrosii* verba recitat.*

22. (2) *Ex ipsis assertionibus.* Nam omnes assertiones *versæ 16.* (quales sunt (1) *In ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates.* (2) *Omnia per ipsum condita sunt.* (3) *omnia in ipso creata sunt.*) de *Divina Natura Christi* sunt intelligenda, sicut idem *Calvinus, Zanchius, Bullingerus &c.* in *Commentariis* suis comprobant.

23. (3) Ex verbis consequentibus v. 17. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Hæc itidem ad solam Divinitatem sunt referenda, quia secundum humanitatem non est ante omnes, sed ex Mariâ demum in plenitudine temporis genitus Gal. IV. 4. Ante omnes sic est, inquit, Ambros. quia hic solus de Deo Patre natus est, de ingenita utiq; substantia Dei. Hæc autem virtute ejus, quam per generationem habet à Patre, substiterunt, non ut communio eis substantiæ sit cum eo, sed ex nihilo nutu Dei Patris Filio agente ceperunt. Bullingerus: Et ipse est ante omnia: sic, inquam, omnia per illum sunt condita, ut ipse sit omnium verus Deus & conditor: & omnia per illum consistunt: sic, inquam, omnia in illum creata sunt. Exerit enim vim suam per res conditas omnes, quas gubernat, vegetat, moderatur, agit & conservat. ID QUOD PROPRIE DEI MUNUS EST: unde consequens est, Jesum Christum esse verum Deum.

24. Ex his liquet, quod Bucanus malè contra textus antecedentia, contra pronunciata & consequentia verba producta de creatione angelorum, quantum ad opus ipsum, ad Christum, ceu Mediatorem referat, quæ tamen verba juxta textum, Patrum consensum, & adversariorum suffragium, de Christo, quoad solam Divinam Naturam loquuntur. Nam distinguendum omninò inter versiculos præcedaneos & succedaneos, & inter versiculum 16. à Bucano citatum: ad Christum totum, in præcedentibus & consequentibus mediatè, sed non in his verbis respectus sermonis immediatus habetur. Nec statim in principio dicitur: Per quem omnia sunt condita, sed ἐν ᾧ πάντα ἐκτίσθη: licet hoc postea adferatur. Fucum igitur facit Bucanus, quando v. 16. incipit: Per quem (Christum) omnia sunt condita, quia hoc in commate non præp. Ἄλλ' sed ἐν reperitur: pronomen verò ᾧ non ad Christum, sed ad τὸ πρῶτόγονον πᾶσις κτίσθησιν immediatè refertur, sicut patet ex connexionione: Qui primogenitus est omnis creaturæ, QUIA in ipso condita sunt universa &c. sicut hoc ipse Calvinus etiam observat: Primogenitus, inquit, omnis creaturæ. Ratio hujus appellationis mox sequitur: Quoniam in ipso creata sunt omnia.

25. Posterius quod concernit: Num Angeli Christi respectu, vel intuitu conditi sint? illud ultimis hujus versiculi verbis probat Bucanus: Omnia (inquam) per eum, & ejus respectu condita sunt.

sunt. Hæc Verba *Bucanus* cum *Calvino*, *Zanchio*, aliisque, non ad divinitatem Christi solam refert, sed etiam ad ejus humanitatem, non ad omnis creatura primogenitum, h. e. unigenitum Dei Filium, juxta textum, sed ad totum Christum, quoad utramque naturam consideratum. Quatuor rationibus, inquit *Calvinus*, Angelos Christo subjicit, ne ejus gloriam obscurent (nim. in incarnatione manifestam, sicut ex præced. liquet) quia per istum sunt creati. Secundo, quia ad ipsum, tanquam ad legitimum finem, referri debet eorum creatio. Tertio, quod ipse semper fuerit antequam crearentur. Quarto, quod eos sustineat sua virtute, & in statu conservet. Quanquam non de solis Angelis hoc affirmat, sed de toto quoque mundo. Ita Filium Deum in celsissima honoris sede collocat, ut præsideat tam Angelis, quam hominibus, cogatque in ordinem omnes creaturas in cælo & in terra. Videtur quidem *Calvinus* in ultimis verbis hæc ad Filium Dei, vel ad Christum intuitu Deitatis referre, sed *Zanchius*, mysterium illud apertius prodit. Hic inter alia scribit: Observandum est, cum Apostolus dicit, Christum esse omnium conditorem, seu omnia per eum esse condita, intelligit, per eundem etiam omnia regi, omnia sustentari, vivificari & moveri, juxta illud Act. 17. In ipso vivimus, movemur & sumus. HOMO enim Christus CONDIDIT MUNDUM, non ut architectus domum, in qua postea non habitet, aut ut nauta navim, quam postea non gubernet, sed præsens est ubique, sua Deitate, & omnia regit (Vide lulum verborum, & Zvinglianam allæosin!) Et paulo post: Καὶ εἰς αὐτὸν creata sunt i. e. ad ejus gloriam celebrandam, & ut etiam Angeli adorent eum & glorificent. Hoc soli Deo datur Prov. 16. Omnia propter semetipsum creavit Deus. Et Rom. 1. cum ergo detur ei hoc, sequitur, illum esse Deum. Καὶ εἰς αὐτὸν q. d. Christus non solum causa Efficiens est rerum omnium, sed etiam finalis: & huc etiam quadrat illud in Apocalypsi: Ego α & ω. Et certum est omnia esse condita, imo mala etiam omnia permisa in mundo, UT TANDEM FILIUS DEI SUMERET NOSTRAM HANC CARNEM, eamque sibi hypostaticè uniret, in ea peccata expiaret, tandem resurgeret, sederet ad dextram patris, & ut unà cum patre ab hominibus in sempiternum adoraretur, & quidem TOTUS CHRISTUS adoraretur. Quo spectat illud Apostoli Phil. II. Propter quod & Deus exaltavit eum & c. Observandum ergo

C

nos

nos (Et Angelos) conditos esse & redemptos, ut Christum glorificemus.
In his quidem verbis tot ferè falsa, quot verba reperiuntur, sed
ea non sunt præsentis instituti. Hoc tamè inde liquet, quod juxta
Calvinianorum Theologiam Angeli, homines, totusq; mundus
intuitu absolutè prædestinatæ illius, quam fingunt, incarnatio-
nis, ortum acceperint, adeoque *Christus incarnatus* sit etiam *scopus*
creationis Angelorum: quod h. l. *Bucani* commentum.

26. Sed hoc ipsum facile refellitur (1) *a scriptura silentio*:
nullum enim præter dictum *Col. I. 16.* adducere potuit, de quo ta-
men ex allegatis constat, quod ad *Divinitatem Christi* pertineat.
(2.) *ab incarnationis objecto*: quia totam incarnationis myste-
rium in S. L. non ad *Angelos*, sed ad *homines* refertur. (3.) *ab in-*
arnationis scopo, quia *Filius Dei* in hoc apparuit, ut *disolveret opem*
Diaboli i. *Job. III. 8.* non dicitur, quod incarnatio Christi, vel Chri-
stus incarnatus sit autor, vel scopus creationis Angelorum.
(4.) *a Mediatoris Angelici figmento*, quia Mediator Angelorum
saltem à *Reformatis* fingitur, nullibi in S. L. describitur, utpote
quæ solum *hominem Mediatorem Christum Jesum* agnoscunt. Nos
autem extra scripturas sapere nolumus.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angeli verè sint Materiati?

27. Ut eo planius atque plenius sensum quæstionis perci-
piamus, statumq; controversiæ constituamus, & ad eum omnia
dicenda directè referamus, observandum, quod *Materia* vulgo
dicatur esse *triplex* 1. *Materia in qua*, seu *subjectum*. 2. *Materia circa*
quam, seu *objectum* 3. *Materia ex qua*, seu *internum constitutionis &*
compositionis principium. *Materiatum* aliquid dicitur non pro-
pter *materiam in qua*, nec propter *materiam circa quam*, sed pro-
pter *materiam ex qua*; hanc igitur h. l. attendere debemus, sicut
innuit etiam ipse *Bucanus*, quia de *materia compositionis* loquitur,
& particulam *Ex* non semel adhibet, sicut ex ipsis verbis liquet.

28. Deinde terminus *Materiæ* sumitur vel in sensu *Analo-*
gico, vel in sensu *proprio*: illam communiter *Accidentibus*, aliisq;
propriè non *materiatis* adscribunt, hanc vero *substantiis mate-*
riatis

riatis propriam faciunt. Denique *materia* terminus vel accipitur in sensu *præciso*, quatenus in se, ceu principium essendi, juxta *Metaphysicam indeterminationem*, consideratur: vel in sensu *applicato*, quatenus ad inferiora *materiae ratio transcendentalis* contrahitur, & ad eorum esse determinatur.

29. His præmissis, dicimus *Angelos in se per se prorsus vere esse immateriales*, quoad materiam ex qua propriè sic dictam. (1) *quia sunt spiritus*, sicut patet ex Angelorum genere: spiritus autem omnis expers est *materiae*. (2) *quia non sunt substantia materiales*. Nam omnis substantia materialis corpus physicum est: angeli vero non sunt corpora physica, sicut ex tota physica manifestum. Quæcunq; autem substantia non est *materialis*, illa est *immaterialis*, sicut ex *immediata substantiarum oppositione* patet. (3) *quia immaterialia habent attributa*, qualia sunt *essendi actualitas, puritas, simplicitas &c.* (4) *quia immateriales habent operationes*, quales sunt *intellectio, volitio &c.* Operationes autem *immateriales* essentiam *immaterialem* præsupponunt.

30. *Bucanus l. 6. q. 3.* contrariam sententiam descendit: *Angeli non sunt prorsus se vere immateriati*. Verum confundit hæc duo *Bucanus*, *ἀπλῶς* & *ἀληθῶς immateriatum*: angeli non sunt *absolutè*, *verè* tamen sunt *immateriati*. Probat thesin suam (1) à simili exemplo: *Sicut nec animæ hominum*. Verum falsum per æqvè falsum probare conatur: homo constat parte *materiali*, & *immateriali*: *materialis corpus, immaterialis dicitur anima*. *Spiritualis igitur anima verè & prorsus est immaterialis*.

31. (2) *A statu Deo proprio: quia solus Deus est ἀύλῳ*. Resp. *Solus Deus κατ' ἐξοχήν*, *eminenter & independenter est ἀύλῳ*: angelus etiam κατ' οὐσίαν πνευματικῆν, *communiter & dependenter ἀύλῳ esse dicitur, quia verè spiritus*.

32. (3) *A statu angelorum creato: quia nihil creatum est, quod idem non sit compositum, vel compositione physica, videl. materia & forma: vel metaphysica, nim. essentia seu actu & potentia*. Quia non constant ex *materia corporea crassa & aspectabili*, sed potius plane *spirituali*, & (ut in scholis loquuntur) ex *sola potestate & actu, immateriati dicuntur*. Resp. (1) *materia spiritualis σιδηροζήλου* est, cum *spirituale* tam apud Theologos, quam apud philosophos

sophos, in essendo consideratum, idem sit quod *immateriale*: adeoque *materia spiritualis* erit *materia immaterialis*. (2) posito hoc discursu, manent tamen *angeli immateriati*, nec aliud in *Bucani* verbis colligitur, & *materia* ac *forma* ab angelorum natura rejicitur. (3) non omnis *compositio* creaturæ *materialem* statim *infert compositionem*, hoc enim foret à simpliciter ad secundum, quid argumentari. (4) Ex potestate & actu constare, juxta philosophos alios *compositio rationis* magis, quam *rei* dicitur, & sic nihil *materia* continet: juxta alios *compositionem realem*, sed non *materialem* importat, cum non omne *reale* sit *materiale*.

QVÆSTIO TERTIA.

Quæ causa, cur Angelorum aliis à veritate deficientibus, alij in gratia & veritate perstiterint?

33. *Bucanus* q. 10. tres causas angelicæ perseverantiæ & apostasiæ constituit, quarum (1) proxima & immediata, *Bona ipsorum Angelorum voluntas*, in qua initio à Deo conditi sunt. (2) *Media* sive superior, *gratuita Dei benevolentia*, quia voluntas eorum adjuvata fuit, ut possent velle, & vellent in veritate persistere, eoque & perstiterint, aliis, quibus hæc gratia non sit communicata, persistere nolentibus, eoque à veritate sua culpa deficientibus *Phil. 2. 13. Deus operatur in vobis velle & perficere*. (3) *Suprema* vero est æternum, firmum & immutabile Dei decretum & beneplacitum, ab ipsius sapientia profectum, quo hos ad gratia sua communionem & perseverantiam elegit & predestinavit, alios vero, pro justo suo beneplacito, propter suam gloriam, reprobavit *1. Tim. 5. 21. Obtestor in conspectu Dei & Domini Jesu Christi & electorum angelorum. Si electi: Ergo aliqui, non omnes*.

34. Sed *causa prima vera, secunda sophistica, tertia falsa* profus & hæretica. *Primam veram* dico non in sensu *Calviniano*, quatenus vel arbitrij bonitas in Angelis obedientibus, vel ejusdem pravitas, in aliis deficientibus à decreto quodam absoluto, & irrevocabili dependet: sed in sensu *orthodoxo*, quatenus angeli boni

boni citra tale quoddam decretum propter naturalem arbitrii bonum usum in lapsum Diabolorum non consenserunt, nec a Deo defecerunt, sed in veritate primæva laudabiliter perstiterunt.

35. Nam, quod Angeli boni liberè veritatem originalem servaverint, apparet (1) *Ex libertatis proprio*: quia primæ libertatis proprium erat, tam *stare posse*, quam *stare non posse*: Angeli boni vero non posterius, sed prius actu ipso præstiterunt, sicut patet ex eventu: (2) *ex opposito*: sicut enim Diabolus *ex propriis peccavit Job. VIII. 44.* Sic etiam angeli *ex propriis* in bonitate naturali permanserunt: imò magis hoc de angelis bonis, quam illud de Diabolis colligendum: quia bonorum Angelorum *stare* fuit *secundum naturam Angelicam*, & omnem eorum eminentiam; peccare vero Diabolorum contigit præter angelorum creationem, creatoris intentionem, & omnem concreatam Angelorum conditionem (3) *Ex ipsius Bucani confessione*, qui proximam & immediatam perseverantiæ causam adserit, bonam Angelorum voluntatem, in qua initio à Deo conditi fuerunt. *Leidens. in Synops. pur. Theol. d. 12. th. 27. p. 124.* Hanc libertatem (Angelorum) fatemur etiam hac in re sitam fuisse, quod potestatem habuerint perseverandi in illo naturali bono, in quo à Deo per creationem fuerunt constituti: quemadmodum ex eo demonstratur, quod Deus eis non pepercisse dicatur, qui peccaverunt, sed ad iudicium in Tartaro servandas tradiderit 2. Petr. 2. 4. Job. 8. 44. quod Diabolus pater sit mendacii, & cum mendacium loquitur, *ex τὸν ἰδίῳν*, ex propriis loquatur. Non ergo ex aliquo naturali defectu aut impotentia, sed ex vera contumacia peccarunt, qui defecerunt.

36. Deinde, quod *Angeli mali libere defecerint*, probatur (1) *ex diserta assertionem*, quia juxta Christi pronunciatum Diabolus mendacium (& omne malum aliud) *ex τὸν ἰδίῳν* afferre dicitur Job. IIX. 44. (2) *ex Diaboli appellatione*, quia Pater Mendacii nuncupatur. Nam quemadmodum Deus verax est, & pater veritatis, inquit Cyrill. l. 6. thes. c. 6. p. 304. ita quoque Diabolus mendax est, & pater mendacii. Homo, vero qui non à se, sed docente & suggerente Diabolo mendacium didicit, cum loquitur mendacium, non ex propriis loquitur, sed ex alieno, & quod aliunde accepit; neque mendacii Pater

C 1


est,

est, sed patris mendacij filius, quem per peccatum, à veritate & DEO
declinando, malitiæ assimilatione imitatur. (3) ex libera originis
amissione, quia Jud. 6. angeli mali libere suam originem non servas-
se, sed domicilium suum reliquisse dicuntur. Plura legantur apud
Cyrill d. l.

37. Alteram causam Sophisticam nuncupamus, tum quia
gratuita illa benevolentia, juxta Bucanum, ex absoluto Dei decre-
to, bonis angelis destinata, tum quia malis, vi atque necessitate
ejusdem decreti immutabilis, ea gratia denegata fuit: tum quia
hæc gratia tertiæ causæ subordinatur, & ex eadem derivatur:
tum quia talis absoluta gratia in tota scriptura nullū habet fun-
damentum. Dictum Phil. II. 13. de hominibus, non de angelis loqui-
tur: salutiferam gratiam: eamque efficacissimam nobis aperit; cau-
sam angelicæ perseverantiæ & apostasiæ non describit. Aliud verò
dictum nullum Bucanus allegare potuit, præter hoc unicum, quod
tamen prorsus à quæstione diversum.

38. Tertiam causam prorsus falsam esse, patet ex eo, quia sic
Dei firmum, æternum & immutabile decretum esset causa la-
psus Diabolorum, & sic Deus autor ejus foret, quod prolixè Cy-
rill. l. d. refutat. Decretum & beneplacitum ejusmodi absolu-
tum tam quoad Angelos electos, quam quoad reprobos à Bucano
fingitur, non ex scripturis adstruitur. Reprobos angelorum
in dicto 1. Tim. V. 21. nulla fit mentio: nec illud ex proposito de
bonis angelis quicquam adducit, sed eos saltem incidenter, instar
testium, producit, sicut ex verbis ipsis cuilibet patebit. Electos au-
tem vocat Angelos, juxta Calvinum ipsum, non tam ad designan-
dam bonorum efficientiam, quam ad exprimendam bonorum à
malis differentiam, & conciliandam testibus adductis excellen-
tiam. Sic enim ejus habent verba in Comment. super b. l. Electos
vocat Angelos non tantum ut à reprobis discernat, sed excellentiæ cau-
sa, ut plus reverentiæ habeat ipsorum testimonium. Et ad hanc dif-
ferentiam etiam respicit Ambros. super b. l. Electos Angelos Dominus
in Evangelio sanctos appellat. Hi ergo electi sunt, quia sunt alij re-
probi, qui sunt non Dei angeli, sed Diaboli assentientes apostasiæ ejus.
B. Balduinus etiam idem urget: Angelus electos vocat respectu eo-
rum, qui ab angelica sua puritate exciderunt, & propterea non electi
sunt,

sunt, sed reprobī ac damnati. Nos Deum Bonū, imo, juxta scri-
pturas, optimū & summū bonū veneramur, & ex decretis
ejus nihil, nisi bonum, simplici fide admiramur: Diabolum etiam
contra Deum, contra creationis scopum, contra dignitatis an-
gelicæ statum non juxta Dei decretum, & ex eodem, sed ex arbitrij
liberi turpissimo abusu peccantem detestamur; cum bonis au-
tem spiritibus in Domino Gloriamur: *Sanctus, Sanctus,
Sanctus Dominus Deus Zebaoth, & sancta sunt omnia
decreta DEI!*



Ad

Per-Eximium atq; Præstantissimum

Dn. DANIEL FIDLERUM,
De Angelis Disputantem.

M*usica nulla choros cœli dulcedine vincit,
Eminet Angelicum nã super omne melos:
Ornatis fidibus cantant, ac organa pulsant,
Instrumentorum non datur ulla quies.
Et, quæcumq; sonum cœlo gratum dare possunt,
Angelicis resonant organa mille modis.
O mibi felices! ô terq; quaterq; beatos
Cantus, in cœlis prosperitate graves!
Hos inter socios datur omnis & una voluptas,
Hos beat angelicis semper adesse choris.
Angelicos cœtus miratur, & òmine lato
FIDLERUS tractat dogmata sacra chori.
Sic juvat in terris cœlestes discere cœtus;
Itur ad angelicos hac ratione choros!*

Johannes Deutschman/D.
Fidles

Fidlerus memori sub pectore sæpè volutat,
Quod cecinit quondam prædocti Musa Maronis:
*Difficiles quisquis casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit
At qui desidiam luxumq; sequetur inertem
Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum.*
Hoc agitat fatis contraria fata rependens,
His Fidlere tuis tantis congratulor ausis
Præside quod cupias ex hoc didicisse laborem
Fortunam ex aliis, ejus te dextera bello
Defensum dabit, ac magna inter præmia ducet.
Hoc unum jungo, non sint hæc irrita vota
TE Pater AENEAS & avunculus excitet HECTOR,

avunculus.

L. M. Q.

f.

M. Christianus Schulz / Zanov.

Pomer. Poëta Laureatus. Cæs.

Serr Fidler schwinget fort die Flügel der Gedancken
Von dieser unter Welt / auß diesen Erdenstrancken
Hin durch das Sternen-feld zu der beliebten Kott/
Die stett zu dienen pflegt dem hochgelobten Gott
Dis ist ein schöner Ruhm / wann man mit solchen Seitem
Den Himmel thönen macht; wenn man die Lebenszeiten
In solchen Fleiß vergräbt; und hänget nach der Spur
So uns hin leiten wil zur Englischen Natur.

Glückwündschend und in Eyl seinen werthen
Freund auffgesetzt von

Christoph. Hieronymo Knoblach /
Norimberg.

SOLI DEO GLORIA.

05 A 595

ULB Halle 3
003 762 017




VD 72

bu.







...ESU!
...CALVINIANA
...DRUM
...A ET STA-
...ONIS, TUM DEFE-
...OTISSIMUM OP.
...
...sium Academia
...E
...plissimo & Excel-
...
...Deutschmann
...imo, ejusdemq; Prof.
...ngè meritisimo.
...studiorum suorum Pro-
...e, submissè colendo, obser-
...
...ai proponet
...NS
...Mugellâ-Misnicus,
...iosus,
...loris Matutinis.
...Majori.
...RÖHNERUS, Acad. Typogr.
...59.